AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 120v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift



De ambitione scli quomodo temptatus est dns. Quando eum leuauit in excelsum et dixit ei: hec omnia regna tibi dabo si procidens adoraueris me. De elatione regni terreni uoluit temptare regem sclorum. Sed dns qui fecit celum et terram diabolum calcat. Quid magnum a dno diabolum uinci. Quid ergo respondit diabolo. Nam quid te docuit ut respondeas. Scriptum est: dnm dm tuum adorabis. Illi soli seruies. Tenentes ista non habebitis concupiscentiam mundi. Non habendo concupiscentiam mundi non uos subiugabit nec desiderium carnis. nec desiderium oculorum. nec ambitio scli. et facitis locum caritati uenienti ut diligatis dm. Quia si fuerit ibi dilectio mundi. non erit ibi dilectio dei. Tenete potius dilectionem dei. ut quomodo ds eternus est. sic et uos maneatis in eternum. quia talis est quisque qualis eius dilectio est. Terram diligis. terra eris. Deum diligis. quid dicam. Ds eris. Non audeo dicere ex me. scripturas audiamus. Ego dixi dii estis. et filii altissimi omnes. Si ergo uultis esse dii et filii altissimi. nolite diligere mundum neque ea que in mundo sunt. Quia si quis dilexerit mundum non est caritas patris in illo. quia omnia que in mundo sunt. desiderium carnis est. et desiderium oculorum. et superbia uite. que non est ex patre sed ex mundo. i. ab hominibus dilectoribus mundi. Et mundus transit et concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem dei manet in eternum. sicut et ds manet in eternum. Sermo iii ab eo quod scriptum est pueri nouissima hora est usque ad id. Inhabetis necessitatem ut aliquis doceat uos. unctio

PUERI ipsius docet uos de omnibus.

nouissima hora est. In hac lectione pueros alloquitur ut festinent crescere. quia nouissima hora est. Etas corporis non est in uoluntate. Ita nullus secundum carnem crescit quando uult. sicut nullus quando uult nascitur. Ubi autem natiuitas in uoluntate est. Incrementum in uoluntate est. Nemo ex aqua et spiritu nascitur. nisi uolens. Ergo si uult crescit. si non uult decrescit. Quid est crescere. Proficere. Quid est decrescere. Deficere. Quisquis nouit natum se esse audiat quia puer est infans. auide inhiet uberibus matris. Cito crescit. Est autem mater ecclesia. Iubera eius duo testamenta diuinarum scripturarum. Hinc sugatur lac omnium sacramentorum temporaliter pro eterna nostra salute gestorum. ut nutritus atque roboratus perueniat ad manducandum cibum. quod est in principio erat uerbum. et uerbum erat apud dm. et ds erat uerbum. Lac nostrum xpc humilis est. cibus noster idem ipse xpc equalis patri. Lacte te nutrit. ut pane pascat. Nam corde contingere dnm spiritaliter. hoc est cognoscere quia equalis est patri. Propterea Imariam prohibet tangere se. Idicebat ei. Noli me tangere. non dum enim ascendi ad patrem meum. Quid est hoc. Discipulis se palpandum prebuit. Imarie contactum uitauit. Nonne ipse est qui dubitanti discipulo dixit. mitte digitos et palpa cicatrices. Nunquid iam ad patrem ascenderat. Quare ergo mariam prohibet et dicit. noli me tangere non dum enim ascendi ad patrem meum. An hoc dicturi sumus. quod auiris se tangi non timuit.